
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

COELO FERVIDO

PROPRIA COMPLECTENS.

10

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
COELO FERVIDO
PROPRIA COMPLECTENS;
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ. DECRETO;
PRO
GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
NICOLAS NUGENT,
ANTIGUENSIS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

“ Admittas timidam brevemque chartam

“ Intra limina sanctioris aule.”

MART. lib. ii. ep. 24.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC IV.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

AVUNCULO CARISSIMO,

JOHANNI LYNCH,

ARMIGERO,

DE ELDORADO,

IN S. TRINITATIS INSULA,

OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ HOMINEM VEL CIVEM EXORNANT

CONSPICUO ;

HANC DISSERTATIONEM

ANIMI BENEFICIORUM IN EUM SUOSQUE

COLLATORUM INOBLITI,

PERTENUE PIGNUS,

SACRAM ESSE VULT

NICOLAS NUGENT.

CORRIGENDA.

P. 12. l. 13. *pro cumminimo lege cum minimo*

P. 22. l. 12. *pro sanitate lege sanitati.*

P. 19: notæ, l. 8. *pro calefacta lege calefactum*

Si nimius est, (*calor*), corpus effœminat, nervos emol-
lit, stomachum solvit. Minime vero aut frigus aut ca-
lor tuta sunt, ubi subita insuetis sunt. Nam frigus, la-
teris dolores, aliaque vitia,——excitat. Calor concoctio-
nem prohibet, somnum aufert, sudore digerit, obnoxii-
um morbis pestilentibus corpus efficit.

CELSUS, lib. i. cap. ix.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

COELO FERVIDO

PROPRIA COMPLECTENS.

OMNIA animalium genera præter humanum, in iis orbis terrarum partibus a Summo Rerum Opifice collocata sunt, in quibus maximè vigent, eamve assequuntur perfectionem, ad quam attingendam designata esse videntur. Homo autem, in creata cætera dominans, cujusvis cœli est omnibusque regionibus

gionibus aptus. Divino enim consilio, animal hoc sanctum, mundo præfectum, tam in regionibus Polorum gelidis, quàm sub radiis solis torridi ferventibus, vitam suam tutò et jucundè degere potest. Nationes diversæ at tamen, in quas, ævo labente, vicissitudinibus terrenis, genus humanum divisum est, regionibus, plagisque specialibus assuefactæ sunt, quibus etiam vitæ rationes institutaque accommodata fuère. Corpus humanum ita assuefactum, paucis tantùm malis opportunum est, neque nisi iis obnoxium, quæ ex fortuitis vel vitæ infirmitate originem trahunt. Sed in cœlum longinquum translatum, et vi physicæ insolitæ subitò objectum, graviùs ex mutatione pati oportet, nisi ad novam vitæ conditionem, diætam, vestitum et totam victûs rationem, extemplò accommodet. Ex temporibus remotissimis notum fuit, terræ regiones temperatas, ad vires cùm corporis, tùm animi, eliciendas et colendas, plurimum favere. Hic, dum pedetentim ad perfectionem tendebat, fecit ut cæteræ mundi partes ad suas voluptatis

voluptatis varias rationes conducerent. Ut extremas terras, et præcipuè torridas, quibus, natura multis in modis admodum prodiga fuit, exploret, inductus est; vel quæstus et lucri causâ, vel gloriam adipiscendi; vel rerum novitatem videndi; vel denique eas res parandi quibus expleantur cupiditates, quæ inter homines societate et cultu politos, nascantur. Mala quibus homo in fervidis regionibus objicitur, et rationem quâ efficacissimè evitentur et caveantur, mihi nunc in animo est breviter investigare.

S E C T. I.

LENI calore, et nervi et cor, arteriæque probè excitantur, diversæque corporis partes muneribus optimè funguntur. Sed calor intensus et diutinus, pariter atque pleraque cæterorum stimulantium, nervos stupefacit, et
cordis,

4 QUÆDAM PROPRIA

cordis, arteriarumque motus infirmit, dum respirationem crebriorem reddit, et ad fibræ muscularis mobilitatem augendam, eam relaxando, tendit.

Secundum nonnullos physiologos antiquiores, sanguis sole fervido rarior fit et tenuior: dum asseruerunt hodierni, tantum rationem partium constituentium insignè mutari. Nempè, propter aëris ibi locorum raritatem, minus *oxygenii* inter respirationem consumi, ideoque sanguinem *hydrogenii carbonati*, vel materiei inflammabilis, majorem quantitatem continere contendunt.

Vasa cutis calore præsertim afficiuntur, et, cute prorsus lævi, papillarum nervosarum sensus optimè cietur, et ad unasquasque impressiones accipiendas admodum acclivis fit.

Uti glandulæ mobilitatis generalis accumulatae participes fiunt, primâ facie, justum inferre videtur, secretiones diversas auctum iri. Sed plerumque aliter res sese habere invenitur. Urina præcipuè, (quantitate ingestorum ad sitim immanem explendam non obstante)

planè

planè minuitur, non tam renum infirmitate, quàm majore tenuiorum sanguinis partium copia, per patulas cutis arterias excreta. Tanti sunt caloris effectus in transpiratione augenda, ut etiam in Italia, SANCTORIO docente, ingestorum quinque ex octo partibus æquat; et sub cœlo fervidiore, longè profusiolem esse oportet*. Compertum habuit equidem Dr LINING, perspirationem ejus, temperie conclavis gradum octogesimum septimum appropinquante, inter horæ spatium ad uncias undecim et dimidiam ascendisse, etsi quieverit, et vestimento linteo solo super indusium cinctus fuerit: et inter horarum viginti quatuor spatium, uncias centum et triginta æquasse, thermometro ab gradu octagesimo usque ad nonagesimum,

* “ Si cibus et potus unius diei fit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter; quantitas perspirationis aliquam varietatem patitur, pro varietate naturæ, regionis, ætatis, morborum, ciborum, et aliarum rerum non-naturalium.”

nagesimum, variante*. Hæc etiam, certè, quantitati hominibus sub dio excretæ, nullo modo comparanda est. Talis perspiratio profusa, minimè sicut ea, ex corporibus in regionibus temperatis exercitatis orta, quasi colliquativa est, et velut aliæ evacuationes immodicæ, corpus maximè debilitat. Tanta est imbecillitas, tanta lassitudo, ex hâc causâ maximè proveniens, ut regionum calidarum incolæ plerumque admodum laboris impatientes reperiantur; hæc etiam forsân inter alias causas est, cur molles, enervati et desides sint, et omne, tam animi quàm corporis exercitium validum, aversentur †.

Bilis

* Vide Tab. D^{ris} LINING apud CHALMERS.

† Don ULLOA de Carthagenæ incolis, ita scripsit :
 “ The invariable continuance of such great heats, without any sensible difference between night and day, occasions such profuse perspiration in the body, that the wan and livid complexion of the inhabitants would make a stranger suspect they were just recovered
 vered

Bilis secretionem, calore externo abundantiore fieri, ex multis observationibus satis constat; maximè ex cholerae et ejusdem generis morborum crebris tentationibus, ex magnâ ventriculi irritabilitate, et supra dictae secretionis redundantia, in omni ferè sub cœlo fervido sanitatis perturbatione. Adeò res ita se habet, ut remotissimæ antiquitatis sententia sit, ex quâ nonnulli scriptores recentiores parum decesserunt, bilis redundantiam signorum morbosorum regionum calidarum unicam esse causam*; ideoque appositum “Biliosum” omnibus ferè morbis iis propriis, liberrimè accommodatum

vered from some terrible distemper. Their actions are conformable to their colour: in all their motions there is something relaxed and sluggish; it even affects their speech, which is soft and slow, and their words generally broken.”

Permultæ hujusmodi observationes, in scriptis eorum qui de regionibus calidis tractârunt, reperiuntur.

* “Plurimæ febres a bile procreantur,” &c. febris continens ex plurima et meracissima bile provenit.” Quartana ex atra bile,” &c.—Vide HIPPOCRAT. cap. VII.

accommodatum fuit. Hujusce fluidi generationi profusæ, nonnullis placuit, eorum qui in talibus terris vitam degunt; colorem fuscum attribuere, et contemplationes eatenus protulerint quatenus conjecturâ duci, eorum indolem inertem, ex ejus in sanguinem absorptione pendere; ad quam theoriam confirmandam ictericorum socordia, pro argumento est*.

Affirmatum fuit bilem non in quantitate solâ auctam, sed etiam in proprietatibus mutatam, acridioremque factam esse, et postea in sanguinem receptam, eum ad putredinem procliviorum reddere. Hujus majoris acrimoniæ bilis opinio, quantum scio, probabilitati solummodo innititur, nequaquam verò observatione speciali confirmata, et eam in systema sine talibus effectibus noxiis absorberi posse, ex morbi regii indiciis satis liquet, et experimentis recentioribus planè demonstratur, quòd tantùm abest ab aliquâ proclivitate putrida inducenda, ut putredini potiùs obstet †.

Fertur

* Vide FALCONER on Climate, &c.

† Vide HUNTER'S Diseases of Jamaica, and SAUNDERS on the Liver.

Fertur etiam perspirationem aliquid mutationis calore intenso subire; et proprietates ejus nonnulli ex gustû solo definire ausi sunt. HILLARY ejus in India Occidentali saporem “spiritus ammoniæ” referre arbitratur. Dum MOSELEY “spiritus aceti” potiùs comparandum esse vult. Minimè nostrum est tantas componere lites; juvat tamen monuisse ejus odorem fœtidum, tam ex quantitate quàm ex qualitate excretionis, fortassè pendere; quoniam magis insuavis est in Æthiopibus, qui copiosiùs perspirare, munditiem minus curare, et vix inhumanam negligentiam fugere, feruntur.

Vetus est quæstio, et a multis scriptoribus tractata, num coloris varietas in genere humano ex quâdam conformationis dissimilitudine primitivâ, vel ex climatis operatione, generibus vitæ peculiaribus adjuta, orta sit? et ex caloris effectibus analogicis, et præcipuè ex hoc, quòd gradus coloris semper ad cœli fervorem aptè respondet, opinio posterior mihi

B

apparet

apparet prorsus digna approbatione * ; et sententiæ cel. BLUMENBACH lubentissimè accedo. “ Nullam inquam superesse dubitationi locum quin, omnes ac singulas, quotquot hæctenus innotuerunt hominum varietates, ad unam eandemque speciem verisimillimè referre liceat.” Quonam autem modo, calor tales effectus in corpus humanum exercent, perdifficile erit exponere, et sententias auctorum varias enumerare, vel ullo modo indagacionem rei minutam et diligentem instituere, longè ab incepto traheret.

Non benè convenit inter auctores, utrum in regionibus calidis, diathesis vulgaris phlogistica, an maligna sit. Nonnulli magni nominis strenuè affirmârunt, affectiones morbidas semper typum inflammatorium induere ;

nec

* Observandum est autem Equatori proximitatem solam, non hîc intelligi ; quoniam regionis temperies ex sede quod ad mare plus minusve excelsa, soli naturâ et ventorum regnantium vi, plurimum variet.

nec desunt alii qui systema potiùs ad putredinem tendere, pro vero accipiunt. Ex una parte, sanguinis conditio soluta, et variis morbis laborantium odor insuavis, pro putredinis indiciis certis, considerata fuêre; dum ex alia parte, et res et consequentiæ negata sunt, opinioque quemvis processum, putredinem referentem, in corpore organico, locum obtinere posse, acriter debellata fuit. Secundum hujusce rei judicia diversa, variæ methodi medendi rem medicam facientium, institutæ fuêre. Adeò hominum constitutiones, eorumque proclivitatem ad symptomata et affectiones speciales, ex vitæ diversâ consuetudine, ex sitû, cœli conditione, et innumeris casibus, pendere necesse est, ut ullam conclusionem generalem de hâc re proferre, philosophis alienum esset. In regionibus Americanis septentrionalibus, exempli gratiâ, et similibus, constitutio forsitan nonnihil virium et energiæ ex pruinis hyëmis immanibus acquirat, undè eveniat, ut methodus antiphlogistica medendi, ibi gentium

tium, efficax sit *. Sed in terris temperie brumali nunquam refrigeratis, semperque Phœbi subjectis calori, etsi primus cœli effectus ad systema incitandum, et temperamenta phlethorica ad nimix excitationis morbos proclivia reddenda inserviat ; quoniam verò, potentia ejus perpetuâ, debilitatur atque relaxatur corpus, prædispositionem ad malignitatem, verisimile est exinde creari.—Hinc invenimus, sub tali cœlo, non nisi in paucis exemplis, et iis plerumque inter “ æstivi tempora sicca canis ” occurrentibus, exinanitionem cum minimo fructû usurpatam esse, dum ex remediis roborantibus, maxima commoda percepta fuêre. Notamus etiam, terrarum frigidarum affectiones inflammatorias, veluti pneumoniam, phthisin, rheumatismum acutum, &c. in regionibus torridis rarò occurrere, et siquando accidunt, multò leviores esse,

et

* Reipublicæ forma etiam huic diathesi, nonnihil conferre existimata fuit.—Vid. Orat. CALDWELL. coram Soc. Med. Philad.

et eos ferè solos invadere, qui modò ex Europa illuc pervenerint *. Rubeola hujus observationis illustrationem claram præbet, utpote morbus in tractibus temperatis, propter magnum sanguinis in pulmones influxum, valdèurgens, dum inter tropicos admodum lenis est, raróque pectus tentans. In plagis frigidis quoque, hujus symptomatum severitas ex diversis anni tempestatibus maximè pendet †.

Regionum calidarum morbi, ob causarum excitantium naturam, habitusque conditionem peculiarem, rapidè ingruunt, et ad terminationem properant: hi, cœli temperati, variis ægrotationibus diutinis, dissimiles, ferè sunt, maximè pertimescendi, et citò vel tollunt hominem, vel ipsi citò finiuntur; “quò magis inter initia protinus succurrendum est, ne ma-
“ jori

* Oculorum inflammationes molestissimæ, in regionibus tropicis admodum frequentes sunt; verisimile autem hoc potiùs causaram excitantium vi majori attribuendum esse.

† Vide “HUNTER’S Diseases of Jamaica” et “SYDENHAM.”

“ jori periculo locus sit.” Haud diu in incerto volvendum, quidnam consilii capiendum sit, quoniam breve est spatium, intra quod si medici auxilium non profuit, æger extinguitur. In his malis, nullum deliberationi vel mutationi remediorum tempus patet, et semper modum medendi promptissimum, æquè ac confidentissimum, sibi vindicant. Adeò res ita se habet, ut Dr CLARK, vitam apud Bengaliam, in quibusdam anni tempestatibus, tam incertam esse monuerit, “ that it frequently
 “ happens one may have a friend at night in
 “ perfect health, who shall not survive the
 “ following day.” Et Galli in India Occidentali secundum MOSELEY dicunt, “ Un
 “ homme n’est pas plutôt tombé malade, qu’il
 “ voit à ses cotés le medecin, le notaire et le
 “ confesseur, tous trois presque au même in-
 “ stant.”

Caloris solius effectus morbidi, quamvis, nequaquam tam insignes sint, quàm suspicari possemus, ex gradu quem haud rarò attingit.

git*. Potentiâ ejus in corpus, illius vis immodicæ insolens, languor, cephalalgia, nausea et fortassè febris ardens levis, primò inducuntur. In cute eruptio pruriens, “ Prickly Heat,” dicta (Essera vel Sudamina Antiquorum) haud rarò occurrit. Hæc affectio lenis, sed nonnunquam molesta, ex actione solis irritante, et salibus materie perspirabilis concentratis, oriri existimata fuit, et plerumque effectum salutarem in corpus exercere arbitratur, recessusque ejus subitaneus aliquod grave malum portendere. Sed hoc, non satis probatur, et in stadio frigido febris recedere, et in calido redire observatur, nullo modo ingravescente vel levationem accipiente morbo.

Ex

* “ Persons are not unfrequently exposed in the sun to a temperature of 120° or 130° of FAHRENHEIT.” MOSELEY.

Etiam apud urbem Galliæ Montpellier dictam, A. D. 1705, folis ardores adeò intensi fuere, ut ova eorum actioni exposita citò indurabantur; et secundum CHALMERS Caroliensem, offula bovina super tormentum bellicum sole calefacta imposita, intra xx. minuta, penitus assa fuit.

Ex bilis fluxu aucto, cholera, ejusque naturæ morbi periculosi inducuntur, et ex hepatis incitatione, proclivitas ad hujusde vice-ris inflammationem manifestè gignitur.

Colica Pictonum (the Dry Belly-ache), quam plumbum in corpus ingestum efficit, sive (sicut alii censent), intestinorum spasmus, debilitate solâ inductus, alius est morbus molestissimus, cui systema caloris effectû, valdè opportunum fit.

Affectio subitanea et perniciosa, “Coup de soleil,” dicta, sæpe expositionis ad nimios solis ardores, sequela lethalis est, præsertim, si caput ab ejus aspiratione non bene defendatur*.

Hi

* “We almost every summer,” inquit CHALMERS, “have instances of people fainting, or even dying, suddenly, from sleeping abroad, or being otherwise much exposed to the scorching heat of the sun.” VAN SWIETEN opinatur, Abderitarum dementiam peculiarem a LUCIANO memoratam, ex hâc causa provenisse. Secundum WINTERBOTTOM, Æthiopes nequaquam huic

Hi autem morborum regionum calidarum minimam partem constituunt, et calor simplex potiùs, ad ægritudinis causas prædisponentes referendus est, quæ in hujusmodi plagis necesse est occurrat, humiditate vel frigore succedentibus. Hinc compertum habemus, plagarum tropicarum tempestates calidiores et aridas, humidis pluviosisve salubriores esse. Calor humiditati conjunctus, plerumque, in corpore relaxando vel opprimendo majorem effectum exercere observatur. Et inter menses pluviosos, ob majorem cœli instabilitatem, et aquarum putrescentium, paludumque exhalationes auctas, satis ægritudinis causæ præbetur. Etenim corpori admodum sentienti seu mobili, temperiei vices utcunque leves perniciosæ sunt; et quoniam

C materiæ

huic malo obnoxii sunt.—“It is said, that in the year 1743, between the 14th and 25th of July, upwards of 11,000 persons perished in the streets of Peking from this cause,” &c.

Vide “Account of the Native Africans.”

materiae animales ac quisquiliæ vegetabilium, caloris humiditatisque vi conjuncta, citiùs putrescunt, celeriùsque corrumpuntur, sic effluvia magis densantur, et aër magis iis oneratur, quàm dum conditione maximè rarefactâ gaudebat. Hæ præcipuè, maximè lethalium endemicorum causæ remotæ sunt *. Ex his, affectiones dysentericæ, febrium intermittentium,

et

* “ When o’er this world, by equinoctial rains
 Flooded immense, looks out the joyless sun,
 And draws the copious stream : from swampy
 fens
 Where putrefaction into life ferments,
 And breathes destructive myriads ; or from woods,
 Impenetrable shades, recesses foul,
 In vapours rank and blue corruption wrapt,
 Whose gloomy horrors yet no desperate foot
 Has ever dar’d to pierce : *then*, wasteful, forth
 Walks the dire Power of pestilent disease.
 A thousand hideous fiends her course attend,
 Sick Nature blasting, and to heartless woe,
 And feeble desolation, casting down
 The towering hopes and all the pride of Man.”

THOMSON, *Summer*, 1026.

et remittentium species diversæ generantur; quæ in his locis multò magis quàm in frigidioribus pertimescendæ sunt, et haud rarò facies tam incongruentes induunt, et symptomata tam discrepantia exhibent, ut si non fallant, saltem omnem medici sagacis, solertisque attentionem sibi vindicent. De harum affectionum causis proximis indagationem instituere, mihi non in animo est, multò minus de earum curationibus disserere; “nam de iis silere meliùs puto, quàm parum dicere;” et aliò properare tempus monet, hanc quoque rei nostræ partem, quàm paucissimis absolute. Satis ad propositum erit, notare, dysenteriam præcipuè formidandam esse, propter symptomatum violentiam, et propter repentinam maximamque virium defectionem: intermittentes nonnunquam admodum inveteratas fieri, et aptas quæ in viscerum obstructions degenerent: febrim remittentem, in plurimis exemplis, faciem omninò *proteam* induere, aliquando lenem et regularem, aliàs autem gravem ac pessimi ominis, et sæpe intermittentis

tentis naturæ participem esse ; utrisque febribus ex causis iisdem, originem trahentibus, et haud rarò, alia in alteram transeunte*.

Quod ad istud malum lethale “ Febris flavā ” dictum, quod in Occidentis diversis regionibus, tantas tamque miseras strages edidit, inter opiniones tam multifarias, testimoniaque tam contradictoria, num endemicum Americanum sit, an ex quavis alia regione translatum ; utrum febris continua an communis remittentis modificatio solummodo sit ; demum, sive typo inflammatorio, sive typhoideo præcipuè gaudet, mihi non in promptu est, dijudicare. Eodem tempore, non possum non suspicari, quòd scriptores faciei communis morbi ex symptomatis forsitan localibus, et quæ sub diversis casibus mutantur aptis, iudicia sua frequentiùs eruerint.

Frigus corpori admotum, irritationes quoque variæ etiam levissimæ, veluti vulnuscula,
morbo

* Vide Observ. Doctoris WRIGHT apud “ DUNCAN’S Annals,” et “ HUNTER’S Diseases of Jamaica.”

morbo Tetano dicto, qui inter maximè portentosa horridaque mala quibus objicitur corpus organicum meritò recensetur, originem præbeant. Ex hujus morbi signis, eum ex irritabilitate auctâ originem sumere, rationi consentaneum inferre videtur: tamen, mirandum est, Æthiopes, qui affectionibus nervosis minimè proclives esse feruntur, ideóquè mobilitatis parùm possidere, quod ex eorum mirâ doloris tolerantia, magis adhuc confirmatur, imprimis et præ omnibus, hoc malo laborare. Sed verisimilè, huic attribuendum est, quòd hoc hominum genus plusquam cæteri causis excitantibus exponuntur*.

In India Orientali, aër frigidus corpori admotus, præcipuè inter ebrietatem, haud rarò affectionem paralyticam inducit, "*Barbiers*" dictam; quæ etsi nullo modo tam discriminis plena quàm morbus jam recensitus, nonnunquam admodum molesta est, et nonnisi cœli temperiei mutatione amovenda.

NON

* Vid. Opera MOSELEY, LEMPRIERE, &c. Alia animalia, ut equus, &c. huic morbo etiam obnoxia sunt.

NON me fugit, plurima alia mala in æstivo orbe prætereà obtinere, sed dies me deficeret si omnia enumerare vellem; cætera plerumque autem levia et infrequentia occurrunt; horum idcirco mentio, æquè ac naturæ investigatio, infructuosa foret, atque plùs justo otium contereret.

S E C T. II.

IN hac propositæ nostræ parte, primò, notatû dignum est, quamvis ad corpus humanum, plagæ tropicæ minus, quàm temperatiores, accommodatæ sint, attamen eas omninò sanitate inimicas esse, nequaquam inferre posse. Fama de earum insalubritate certè magis valet, quàm cujusvis ingenui experientiâ compertum foret; nam in multis locis, indigenæ senectutem longam ac felicem adipiscuntur, ita ut nonnunquam semetipsis satis superque vixisse videantur, et tandem

dem nonnisi summæ ætatis imbecillitate dissolvantur. Persæpe Europæi etiam maximo vitæ dono, intemeratò continuóque fruuntur, et haud rarò “ *placidus illis per tempora labitur annus.*” Corporis verò status, et salutis tuta atque integra conservatio, ex vivèndi ratione, et innumeras causas morborum prædisponentes et excitantes cautè evitando, pendent. Verùm regiones tamen supradictas haud rarò temerè, imò et Naturam ipsam vituperant incolæ, proinde quasi, mala quæ perpetiuntur, non imprudentiæ suæ, et omnis cautelæ salutaris contemptui, magna ex parte, attribuenda sint.

Europæorum, propter navigandi solertiam, mercaturam magnam et copiosam, multasque colonias, regiones telluris calidas maximè forsitan percurrunt Britanni. Experientia, at tamen, quam ex hoc assequuntur, parùm ad eorum incolumitatem conferre videtur. Graviùs enim ex cœli mutationibus pati, faciliùs in morbos incidere, tristiùs ægrotari, difficiliùsque curari, quàm Galli, Hispanive observati sunt :

sunt : quòd non horum scientiæ medicinali, quâ certè minus valent, sed potiùs majori corporum gracilitati, modisque victûs prudentioribus referendum est *. Illi in provinciis autem, “ nimis dediti corporis gaudiis, per “ luxum ætatem agunt ;” magno epularum apparatus, multo cibo et potione quotidie completi, ut in Europa vivunt, nec se climati calidiori accommodare volunt ; deploranda inscitiâ, abstinentiam omninò irrident atque contemnunt, nec sæpè exclamare erubescunt, “ quoniam vita nostra fragilis, *vivamus* dum “ licet esse bene ;” ideóque ob plenitudinem vel debilitatem quæ consequuntur hanc incontinentiam in victu, potissimùm morbis opprimuntur, manibusque atræ mortis avidis abripiuntur.

Quò cœli fervidi affectus morbidi evitentur, habitationis idoneæ, diætæ et vestimenti, et tam animi quàm corporis occupationum ratio habenda est.

Domicilium

* Vide JACKSON, MOSELEY et SHANNON.

Domicilium in loco collocandum, roris et nebularum densarum, quàm maximè vacuo, quo cœli temperies minimè variet, cui solum aridum atque arenosum sit, et præ omnibus a stagnorum auris, paludumque exhalationibus remotissimo, quæ infeliciter in his regionibus magnoperè abundant, et morborum endemicorum lethalium causas remotas constituunt. *Ædes* altæ, spatiosæ esse debent, et præcipuè inter anni tempestates pluviosas bene ventilari. Loca, quæ hujuscemodi pauca vel nulla comoda sortita sunt, ex hominum experientiâ perpetua, in talibus affectionibus producendis plurimum pollere reperta sunt: hoc etiam, harum regionum indigenarum, habitus valedudinarius, facies squallida, corpusque extenuatum, apprimè testantur.

Quod ad victum, moderatio et abstinencia maximè prosunt; quicquid ad systema plurimum incitandum inserviat, malum et noxium judicandum est. Omnis diæta miscella, et cujuscunque generis intemperantia, corpori vegeto ac valenti, in omni casu repugnantes,

D

Europæis

Europæis imprimis, perniciosæ sunt. Omnino necessarium est, ut bene ille M. TULLIUS, de alia re, “carere epulis, extructisque mensis, et frequentibus poculis, ergo etiam vinolentiâ, et cruditate, et insomniis.” Tantum cibi et potionis sumendum ut reficiantur vires non opprimantur, et mensæ non solum in præsentia, sed etiam postero die jucundæ essent. Cibus saluberrimus ex carnis lenis, facilisque concoctu pauxillo, ex vegetabilibus bene præparatis, fructibusque maturis constare reperietur. Hoc profectò, Natura ipsa indicare videtur; nam animalia domestica, ibi loci vix vigent, dum vegetabilia multigena, suaviaque inveniuntur. Simul cum vegetabilium usu copioso, ad flatui moderandum, saporem gratum impartendum, et eodem tempore organis digestivis, stimulum levem, tutumque præbendum, conditura aromatica plurimum proderit. Nam propter magnum ex transpiratione machinæ dispendium, sitimque importunam, quam propter dilutionis copiosæ comoda, necesse fit frequenter bibere. Hinc liquoribus

quoribus spirituosius intemperanter abuti, et sese quasi inundare, plurimi insanè sollicitantur. Hoc si, etiam in regionibus frigidis, multorum malorum fontem et originem fieri compertum est, quantò magis, sub cœlo fervido corpori nocebit? Vini et potus meracioris, usum liberaliorem ad corporis vires sustinendas, et ad putredinem arcedam necessariam esse, sententia omninò incongruens et perniciosa est; quoniam potiùs est valetudinem inconsideratè profligare, præmatturosque cineres properare; et non inscitè poeta:

“ Hinc subitæ mortes, atque intestata fenectus.”

In omni regione turpis, ebrietas, in calido autem fœdissima, et ibi gentium præ omnibus deprecanda, si propter nihil aliud, saltem virtutis ergo, quoniam, pro ista ignavia et socordia, quæ ex hac causa in regionibus frigidis sæpiùs obtinent, corpus incendit, hominumque animos non solum commovet, sed haud rarò etiam in dementiam rapit. In portionibus autem modicis vina tenuiora tutò sumantur,

mantur, vel etiam liquores generosiores aptè diluti *. Acidi vegetabilis nonnihil potui adjectum, præterquam quod salutiferum, gratumque sit, sitim certiùs levabit; sed opinio a plurimis recepta, de necessitate liquoribus acidulatis semetipsos proluendi, funditùs ejicienda est, quippe qui præter modum sumpti, non possint quin stomacho noceant, vires, facultatemque ejus minuendo.

Eos, qui sub sole fervido vitam degunt, cultui nitido amœnoque studere, ac vestimenta levia tempestati apta, induere oportet. Sub cœlo incerto, ad transpirationem equabiliter sustinendam, quæ ad salutem omninò necessaria est, indusium laneum plurimum proderit.

* “ A generous, but moderate use of wine, is conducive to health, and is useful in preventing diseases; and it is indeed generally observed all over India, that those whose circumstances enable them to drink *Claret*, enjoy the greatest immunity from disease.”—
CLARK.

“ We curse not *wine*; the vile *excess* we blame.”

ARMSTRONG.

rit *. Permagni interest semper caput a sole benè defendere, id quod faciunt petasus et umbella. Tiara albida, vestimenta que distincta et fluitantia, ab Orientalibus prudenter gesta, ad imminentis solis ardorem temporandum apprimè idonea reperiuntur. Galerus coloratus, amictusque coccineus, in plagis calidis, “*cùm gravis exustos æstus hiulcat agros,*” inter stragis militiæ Britannicæ causas plurimas,

* “I am astonished,” inquit cel. RUMFORD, “that the custom of wearing flannel next the skin should not have prevailed more universally. I am confident it would prevent a multitude of diseases; and I know of no greater luxury than the comfortable sensation which arises from wearing it, especially after one is a little accustomed to it.

It is a mistaken notion that it is too warm a clothing for summer. I have worn it in the hottest climates, and in all seasons of the year, and never found the least inconvenience from it. It is the warm bath of a perspiration confined by a linen shirt wet with sweat, which renders the summer heats of the tropical climates so unsupportable; but flannel promotes perspiration, and favours its evaporation; and evaporation, as is well known, produces positive cold.”

Vide *Philos. Papers*, v. i. p. 268.

mas, haud immeritò enumerantur, et plorandum est, eos sapienter rempublicam ministrantes, incolumitatem commodumque militum, splendori et magnificentiæ, nondum, ex aliqua parte, præpossuisse.

Judiciis, monitisque scriptorum quorundam non obstantibus, frigidarii usus, nostrâ opinione, plurimum proficit; et dilectam poëtam haud errare arbitramur; non herclè ineptè ait,

“ This is the purest exercise of health,

“ The kind refresher of the summer heats.”

Dr MOSELEY in libro, quem de morbis tropicis composuit, non minus inusitatè sanè, quàm inaniter, frigidarii usum repudiavit, quia luxuriosis, præsertim si viscerum obstructiones adsint, lethale est. Licèt, hæc admonitio omninò justa et laudanda sit, tamen non equidem video, cur ob eam causam, cautam providamque frigidæ applicationem, propulsare et vituperare oporteat. Hæc MOSELEY opinio radicatus

citùs excutitur experientia multorum, qui non solùm consuetudinem comprobant, sed etiam ad cœlum tollunt; sed nequaquam necesse est singulorum opiniones animadvertam, cùm nationum mores perspicere liceat. Omnes ferè gentes rudes et impolitæ, quæ regiones fervidas incolunt, vel in rivo perlucido, vel in mare, sese quotidie immergunt, Naturâ magistra et duce. Apud Orientales, non luxuria magis quàm præceptis institutisque religionis, invaluit frigidæ usus. Non tantùm in cellas frigidarias sæpè descendunt, sed potum omniaque quibus utuntur, evaporatione refrigerant. Gentes etiam excultiores, et ad humanitatem instructiores cum summo fructu corporis lavationem usurpârunt. Gallici coloni, qui de ejus utilitate uno ore consentiunt, et, præ cæteris, hoc modo præsidium petere solent, sanitate ferè continua fruuntur. Hæc igitur, et alia cùm cernimus, possumusne dubitare, an perutilis sit consuetudo? Si tempestivè adhibetur, et brevis sit in aqua mora, non potest quin corpus refrigeret, totiusque habitus vim augeat, ac compagem

compagem firmet, et, super omnia, ad munditiam conducat; quo nihil est sub sole fervido jucundius, et ad valetudinem conservandam accommodatius. Si mare vel fluvius longius distat, affusio pluviosa cum haud minore fructu usurpetur. Negari autem non potest, quin corporis lavatio indulgentia sit, quam haud secus ac cæteræ, cautè adhiberi oportet, et præcipuè, ubi corpus aliquâ affectione *exanthematosa* laboret, post satietatem nimiam, vel post exercitationem vehementem, quibus calor corporis præter solitum augetur. Tum enim lavatione frigida, transpiratio libera et copiosa subito supprimitur, quo nihil perniciosius*.

Inter hominum occupationes, admodum insalutares sunt eæ, in quibus fungendis, insolationi, matutino et vespertino frigore, nubilo cælo, vel effluviis nocuis, corpus maximè obijcitur. Omnis labor vehemens, et fatigatio, quæ

* Natatio post exercitium violentum, est jucundissima, sed mortifera."

quæ necessariò vires infirmant, et morbos inducunt, quàm maximè cavendæ sunt. Saltationem igitur, convivalem exercitationem, qua festivi harum regionum incolæ, plurimum gaudent; nuperos ex Europa advenas cavere oportet. Sin autem, munia nostra a nobis fortè corporis exercitium validum exigant, moderatio, et gravis, regularisque normæ sanitatis observatio, optima ea exequendi media reperientur.

Studia nimis intensa, omnisque vehementior solitò animi intentio, vitanda sunt: haud minus elaborandum est, “ ne in perturbationes
“ atque exanimationes incidamus,” ne motibus animi gravioribus vexemur, veluti irâ, mœrore, metu, &c., quæ discrimine maximo stipantur. Mentis tranquillitas, hilaritasque, ad salutis conservationem plurimum valent, dum tristibus animi morsibus, angoribusque continuis, nihil pejus est, et magis nocivum. Animo afflicto; fractoque, cœlum fervidum exitio est. Etenim, mente male se habente, corporis mobilitas antea nimia, magis adhuc au-

E

getur,

getur, præcipuè propter somni quietisque defectum, qui insignis ægritudinis causa habendus est. Ut nihil tamen magis cavendum est has terras incolentibus, quàm ne languori cedant, mœstitiæque succumbant, sic opus sedulò dandum, ne in contraria currant: quando a negotiis et tuenda re familiari otium est, quum relaxare animos, secludere curas, et dare se jucunditati volunt, caveant intemperantiam, reminiscantur pericula, incommodaque vitæ, semperque iis virium atque corporis cura adsit.

F I N I S.

